

**www.e-rara.ch**

**[Primus tomus]**

Petri Bembi rerum Venetarum historiae lib. IX.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

PETRI BEMBI RE-  
RVM VENETARVM  
HISTORIAE LIB. IX.

**M**Aximilianus Tridentum redit. Multa oppida à Venetis recipiuntur. Venetorū ad Patauij propugnationem, & hostium ad oppugnationē apparatus. Franciscus Mantuanorū dux à Venetis capitur. Senatus in suos pietas & liberalitas. Patauium à Maximiliano oppugnatur. Hieronymi Saorniani res pro rep. gestæ. Maximiliani à Patauij oppugnatione discessus. Vt omnia circa Patauium excinderentur lege cōstitutum. Res in Liburnis, Illirico, Istris, Carnis & Foroiuliensibus gestæ. Vicetia à Venetis capitur. Bellum à Senatu in Alphōsum Atestinum decernitur & geritur. Reip. exercitus Veronam frustrā mittitur. Multa oppida à Venetis recipiuntur. Classis in Alphonsum missæ progressus. Classis Veneta ab Alphonso fracta. De parente, filia pro concubina vtente supplicium sumitur. Iulij placandi ratio à Senatu inuenta.



**P**ATAVIO recepto, Monsilice, Ateste, ple-  
raq; alia agri Patauini municipia paruo ne-  
gocio ad remp. redierunt. Maximilianus, qui  
Marosticæ tunc erat (id est municipiū in pri-  
mis Alpium iugis, abestq; Patauio millia passuum viginti-  
quatuor) veritus ne interciperetur, euestigio Tridentum  
abiit. Senatus sex ex plebe homines fide præditos à Patri-  
bus legendos censuit, qui sex Patauij portas custodirent cū  
triginta militibus quilibet. & quod magnum rusticorum  
hominum studium in remp. extiterat, eos immunes annos  
quinq; iussit esse, fisci reliquis etiā remissis. Dū hæc decer-  
nerentur,

nerentur, à Maximiliano literæ ad Senatum venerunt, pri die quàm Patauium reciperetur datæ: quibus literis rex petebat, vt Aloisium Mocenicum ad se Marosticam Patres mitterent. Aloisius Patrū iussu postero die Taurisum profectus, quòd rumor attulerat, Maximilianū suos se in fines recepisse, præmisso tabellario, qui, vbi rex esset, quòque se venire vellet, sciscitaretur: alteris regis literis certior factus est, nolle amplius Maximilianum cum eo colloqui: itaque Taurisi paucos moratus dies, à Senatu reuocatus domum rediit. Gaspar etiam Seuerinas de quo suprà dictum est, ab incolis in oppidum Citadellam introductus, dum se ad Maximilianum Pandulfus Malatesta contulisset, missis ad urbem internuncijs Senatui se obtulit: neq; tamen est receptus, ob leuitatem atq; inconstantiam, qua nimia vsus fuerat. Serrauallium interea, castellumq; Fracum recipiunter, pulsus ab altero non sine cæde prope quingentis Maximiliani militibus, in altero omnibus ad vnum interfectis. Erant autem ex Hispania milites centum quinquaginta: & sunt oppida Patauio in septentriones versus. A meridie ferè autem Montanianū in Patauinis finibus, & Lemniacū, quod est ad Athesim flumen, in agro Veronensi, eiectis hostibus reip. insignia sustulerunt. equitatusq; ab Alfonso Ferraria emissus, vt eius oppidis præsidio esset, à militibus reipub. & agricolarum manu desiectus interfectusq; est, eorum duce capto, ad urbemq; misso. Lemniaciū petete ciuitate per legatos ab imperio Veronensiū, in quo erat, liberū à Senatu factum est: permissumq; ijs, vt à magistratibus ab vrbe ad se mittendis regerentur. Prætor quoque, qui ius Patauinis diceret, comitijs maioribus creatus est Petrus Balbus cuius prudentia moderationeq; insignis,

qui haud multò antea illum ipsum magistratū obierat. Iulius Pont. Max. cognitis magna cum molestia reipub. prosperis rebus, Dominico Grimano, Hieronymo Donato ad se vocatis, animi egritudinem dissimulans, ostendit cupere se, ut Taurisum Forumq; Iulij resp. ne amitteret: seq; eius rei autorem apud Maximilianum fore pollicetur: atq; ad sacra legatos reliquos, qui domi detinebantur, admitti imperat. Ac tum quidem ex Pannonia Guidotij Senatus scribæ, qui reipub. negocia procurabat, literis Patres certiores facti sunt, Aloisium regem Gallie, Iuliumq; Pöt. max. omni studio apud Pannonie regem egisse, ut is reip. bellū inferret: perfacile esse, propterea quòd respub. omnes suas opes amisisset, essetq; ad extremum redacta casum, eius oppidis omnibus, quæ in Istris atq; in Illyrico essent, illū potiri: regem tamen aures eorum hortationibus non adhibuisse, neq; quicquam contra remp. aggredi aut statuere voluisse. Interim quòd Maximiliani copie augebantur, eratq; Vicetie eius præfectus Constantinus Cominatus, de quo superioribus libris sermonem habuimus, qui manus cogere dicebatur: Senatus iussit, ut Citolus & Lactantius suorum militum numerum & ipsi augerent, ut essent utriusq; ad octingentos. Lucioq; Maluetio Bononiensi equitū cataphractorū centum præfecto, auctus numerus ad C. L. cum liberali stipendio: auctusq; Meleagro Foroliuicensi, Taдеоq; Vulpio Forocorneliensi, qui se amāter fortiterq; gesserant. Alexandrino Bigolo aut vni ex Patauinis ciuibus, qui in Citadella obsidenda hostibusq; vexandis cum agricolarum manu egregiam operā nauauerat, uti equites leuis armaturæ centum, milites ducentos cōficeret, cura data, & stipendium à Senatu missum. Lancilloto etiam Soncini

nio patri liberisq; sex Patauinis item ciuibus, qui in partibus reip. constantissimè semper fuerant, fundi aliquot eorum, qui à rep. defecerant, dono permissi: tum Saccardo vini ex ijs equitum cataphractorum centum, & eorum qui sagittis uterentur, viginti, præfectura tradita. Et quoniam cum Prospero Columna cõfici nihil potuit, Popule dominum, qui in Brutijs tunc erat, cum equitibus cataphractis trecentenis Senatus conduxit libris auri vicenis & trecentenis annuis: qui tamen postea, Ferdinando rege id ei non permittente, domi se cõtinuit. Centuriones etiam & præfecti equitum, qui ad urbem se conferebāt, ut stipendia reip. facerent, per plures à Senatu sunt recepti, iussiq; ut se quæprimum cohortibus turmisq; confirmarent, Patauiumq; proficiscerentur. Inter hæc Ciuidale Belunianum ad remp. redijt. Id cum Feltrini cognouissent, & ipsi sponte idem fecerunt. quod quidem etiam in Noricis aliquot populi ciuitatesq; imitate, se ad remp. pari studio retulerunt. At Maurus legatus, qui, ut Citadellam interciperet, eò cum copijs properauerat, req; frustra dies aliquot tentata, quòd oppidum à magna Hispanorum militum manu defendebatur, Taurisum redierat, præsidio ad oppidum tuendum relicto cum Imperatore & reliquo exercitu Senatus iussu se Patauium contulit. Magnæ enim manus hostium pluribus in locis ad eam urbem obsidendam comparabantur, Maximilianumq; ipsum eò breui venturum fama vulgauerat. Eas ob res pedites quatuor mille ex plebe urbana sunt conscripti, quos Patauium Patres mitterent. Ex Patauio ciues permulti, quorum fides atq; animus suspectus erat Patribus, ad urbem nominatim euocati, iussiq; inde, quoad de bello decernatur, non recedere. Idem post dies ali-

quot de Taurisanis ciuibus nonnullis imperatum. Hieronymusq; Saornianus, qui iam antea Patrum missu ad Heluetios profectus eos ad remp. iuuandam propè armauerat, sed clade exercitus nunciata impetrare ab illis nihil postea potuit, quiq; tum ad urbem redierat, in Carnos patriamq; suam à Senatu missus est, vt illis in finibus legatis reip. præstò esset. ad quos etiam equitatum Patres miserant, quòd hostes eo quoq; ab latere impetum facturi dicebantur. Atq; ij paucis pòst diebus ad Ciuidale Carnicum oppugnandū sunt profecti, tribusq; prælijs frustra oppidum aggressi, Ioannē Paulum Gradenicum in Foroiuliesib. legatum, qui eò venerat, vt ab obsidendo municipio illos auerteret, vulnere illato repulerunt, Tiberto è Purliliarum principibus equitum leuis armaturæ ducentorum præfecto, benemerito de rep. homine, & Camillo Malfacto Patauino totidem militum Centurione cū plerisq; viris fortibus interfectis, cuestigioq; abierunt. nam dum ij ab oppido digressi in Gradenicum impetum faciunt, oppidani egressi hostium tormenta clauis ferreis confixerant, vt eis vti eo tempore non possent. quibus abeuntibus Portunaonenses ad Gradenicum miserunt, seq; reip. reddiderunt. Ex Benaci autē ripa vallibusq; homines quingenti sponte, vt reip. open ferrent, se Patauium intulerunt: quos Grittus legatus liberaliter appellatos, stipendioq; dato Taurisum, cuius agrū hostes depopulabantur, earum regionum auxilio statim misit: quò etiam Maurus legatus cum equitibus mille ea de causa redierat. Maximiliani verò manus, pluribus ex finibus coactæ, fugatis in Alpibus reip. copijs primò Castellū nouum, deinde Feltriam recuperauerunt, prædaq; ingenti facta atq; abducta, oppidum incenderunt. Eo incendio turris

turris portæ oppidi imminens cōcidit: qua in turri carnē solido in lapide legebatur antiquitate mira præditū: is lapis igne absumptus haud paruo ciuitatis desiderio interiit. Carmen erat eiusmodi:

Feltria perpetuo niuium damnata rigori,  
Fortè mihi posthac non adeunda, vale.

Supra carmen Iulij Caesaris nomen erat inscriptum. Cretensibus ubi de Gallorum victoria deq; defectione oppidorum est allatum, magno ex ea re mœrore affecti, domi se vniuersi plures dies continuerunt: scriptisq; ad illos à præfecto clāsis literis, uti vellent ad Cyprum insulam firmandam, ne quis eam vicinorum regum aggredi audeat, tam afflictis reip. rebus præstò esse, ex sese libras auri centum sexaginta ad triremes, gripos, reliquasq; naues armādas, atq; in Cyprum celeriter mittendas curauerunt. Inter has iactationes alternosq; fluctus reip. Franciscus Mantuanorum dux à Maximiliani ducibus stipendio Veronæ accepto, quod quidem illi à ciuitate nullo more perq; vim exegerant, cum equitibus sexcētis octauo Iduum Sextiliū sese Mantuā referebat. Ea de re Grittus legatus ab amicis reipub. antea certior factus, Lucium Bononiensem cum equitibus sexcentis, ex quibus erant Epirotæ ducenti, & Citolum Perusinum cum militibus octingentis, transuerso itinere Lemniacum præmisit: qui eò eiusdem dici sole abeunte cum venissent, missis qui vias custodirent, ne quis ad Franciscum nuncius afferretur, ante Solis ortum se interius in fines Veronensiu ad pagū, quo in pago erat dux, magnis itinerib. cōtenderūt: impetuq; facto illū seminudū, ut se re pētē expergefactus domo eiecerat, atq; in milij segetē abiderat, agricolarū indicio repertū ceperūt vnā cū suo comi

tatu omni, interfectis ijs qui se defendere insulerunt, & equorum peregrinorum magno numero, & maiore stipendij parte ad libras auri octoginta, argentiq; in mensam affabrè cælati graui pondere: statimq; cum praeda captiuisq; reliquis Patauium adduxerunt. Præda inter omnes diuisa: ipse Venetias perductus, atq; in Comitij turricula custoditus, haud minimæ ciuitati lætitiæ ex inopinato fuit. Neq; multò post Hieronymo Pompeio Veronensi, qui cū equitibus leuioribus stipendia reip. faciebat, quòd is à fratribus, qui Veronæ erant, de Mantuanorum ducis abitu cognouerat, legatoq; indicauerat, equites grauis armaturæ à Senatu additi: agricolisq;, qui illum latitantem reip. militibus ostendissent, immunitas pensioq; annua, quas posterì corum sequerentur, dono data. ipsi veste liberaliter induti, auriq; libra itineri domū inter eos diuisa. Deinde cū Pompeius ipse ad urbem venisset, vti ei fratribusq; eius quinq; auri libræ, sex singulis annis curarentur, castellumq; Lasium, cuius in finibus prædia eorum erāt, dono eis daretur, Decemuiro sanxerunt. Marco etiam Ariminensi Centurioni reip. Lemniaci qui erat, ad eamq; rem conficiendam & studio & diligentia vsus fuerat, duæ auri libræ pensionis nomine annis item singulis, quo ad viueret, cōstitutæ: auctusq; militum numerus ad alteros totidem. Latum etiā, vt ei Centurioni ciui Patauino, cuius fratres legato oppidi portam aperuerāt, ex eorū bonis qui hostes reip. fuissent, prouentus annuus attribueretur, quo se liberaliter familiamq; suā aleret. Idem munus ex Taurisanorum reip. hostium bonis, domusq; percommoda in oppido, atq; immunitas onerum omnium, quam posterì eius sequerētur, Marco Pelliciaro ciui Taurisano, cuius virtute ac fide ciuitas in officio erga  
remp.

remp. se continuerat, utq; ipse in suæ ciuitatis Senatū extra ordinem legeretur, datum. Atq; ad hæc Senatusconsulta illud quoq; Patribus frequentissimis est additum: cuiuscunque rebus atq; fortunis damnum aliquod ab hostibus aut illatum iam sit, aut deinceps inferatur, remp. spondere ac polliceri, sese ei bello confecto equis factis æstimationibus omne detrimentum sarcituram. Cuius rei edictum publice Patauij propositum vbi est ab hominibus auditum, Senatusq; in suos ea pietas & liberalitas cognita, tantus subito ciues plebemq; omnem atq; ipsum etiam exercitum beneuolentiæ in remp. sensus atq; letitia tenuit, ut magna alacritas oppidi defendendi omnium sit animis innata, omnesq; ad omnia pericula subeunda multò audentiores & paratiores fierent. Maximiliani copiæ, reliquis municipijs eo ab latere captis, ad vicum Aggeris profectæ, qui abest Patauio vicus duo millia passuum, à Medoacoq; flumine interfecatur, pontem qui in vico est occupauerunt, atq; ex ijs nonnulli equites vsq; ad oppidi portam cucurrerunt, repulsiq; sunt à reip. militib. qui in porta stationē habebāt. Est ad Medoacum sex mille ab oppido passus, quā flumen diuiditur, parsq; fluminis altera recto cursu Venetias versus, altera pars Patauium, circum interq; vecta ambæ ad Stratam vicum se coniungunt, atq; in vnum redeunt, arx antiquitus instituta, ne repentinis hostes incursionibus illam fluminis partem, quæ Patauiū tendit, deriuare in alteram possent: quod quidē non difficile factu est, nisi arx impediatur, propterea quòd ea fluminis pars, quòd multò breuiorem cursum habeat, trabibus in flumine infixis, ac mole lapidea inter trabes excitata retinetur, quoad per trium ferme cubitorū rimam peruiā quæ visa est aquæ pars dela-

batur, reliqua sustineatur ad Patauū irrigandum: ea si moles non sit, omnis fluminis vis in breuiorem alueū, qui demissior est, sese fundat, neq; pars aquae vlla Patauium perueniat. Is locus pagusq; Limē appellatur. Ad arcē itaq; Liminis capiendam omnis hostium exercitus, ad quem iam Maximilianus venerat, paucos se post dies contulit. Erant in arce milites CL. ii, quod arx satis cōmunita non esset, dum quid agant consulunt, hostes intrōmissi eos propē omnes interfecerunt. Arce capta Maximiliani milites mercede proposita molem interseindere aggressi, cū partē eius deiecissent, flumenq; pro ea portione auerteretur, constaretq; omnibus, si pergerent deicere, totum flumen ea descendurum: Maximilianus operas ab incepto reuocauit, imperauitq; ne quis molem vltius deiceret: neque tamen quisquam scire potuit, quā ob rem Maximilianus id iussisset, ita ea fluminis pars, quae Patauium defluebat, nunquā postea defluere vniuersa desit. Ceterum cū vidissent Bachilionem etiam flumen, quod in agro Vicetino ortū habet, quinq; millia à Patauio passuum ad pagū, qui Longare appellatur, diuidi, eiusq; partem Ateste, partē Patauium deferri: vti hēc quoq; pars Ateste deflueret, eam interciperē sunt conati, ne quā Veneti eius fluminis aqua ad Patauū tuendū vti possent: sed ab equitibus reip. sepe vexati, sepe cōmeatib. interceptis, sepe captis nō gregalibus modō ex ipsis magno numero, sed praefectis quoq;, incepto defūerunt. Inter captos Manfredus Facinus fuit, qui spreto iurciurando, quod legato Gritto dederat, iterū cum hostibus se coniunxit: ei est ob periuriū Patauī laqueo gula fracta. Hostes post hēc, quod erat eo ferē ab latere municipiū Monfalice, quod abest Patauio decē millia passuū, mōti pra-

ti præcelso adiacēs, in cuius summo vertice est arx, quæ muro ab utraq; parte ducto cum oppido coniungitur: cum Ateste, quod nemo defendebat, antea cepissent, se Monsilice contulerunt, oppidumq; magno impetu aggressi ceperunt singulari Hispanorum militū virtute, qui ad arcē per montis crepidines repserant, elusis reip. qui in ea erant militibus præfectisq;, arcem posse capi non verentib. ij enim cum ad priorem eius partem, quā tormentis antea perforauerant, se ostendissent, per posterioris angulum, qui nudus à propugnatoribus relictus fuerat, pauci se in murum improuisi intulerunt, deq; muro in arcem deiecerunt: ad quos reliqui conuolantes perterritis omnibus magna cæde facta arcem tenuerunt, oppidūq; diripuerunt: Danielemq; Maurū, & Petrum Gradenicum, quorum alter Atesinis prætor fuerat, captoq; municipio fugiens Monsilice se intulerat, alter ibi magistratus erat, captiuos fecerunt. Eo successu fretus Beraldus Patauinus, qui stipendia Maximiliani faciebat, Montanianum municipium cum militib. accedēs, uti se dederent, oppidanos est hortatus. li velle se imperata facere simulantes, Beraldium cum ijs, quos visum est, equitibus intromiserunt, porteq; rete ferreo repente dimisso, ipsum vulnerauerunt, captiuumq; cū plerisq; fecerunt: reliquos interfecerunt. Galassium quoq; Piū in Patauinis montibus cum sua equitum turma & Maximiliani militib. iter faciētem, agrestes homines congressi occiderunt. equites XX. & milites LX. captiui facti. Nicolao imperatori, quod eius stipendiorū cū rep. renouandorū tempus appe-tebat, eadē est in annū potestas dilata, decemq; auri libræ singulis mensibus in victum à Senatu constitutæ. Maximilianus, qui tormenta graui ære permulta ad muros

Patauiños verberandos domo ad se comportari imperauerat, dum ea per Alpes magna difficultate conuehantur, modò ad hanc, modò ad illam suburbani agri partem exercitum circūtulit, ne frustra tempus terere videretur: vel etiam, vt pleriq; crediderūt, ne cognoscere Veneti possent, quo ab latere ille quaterre oppidum vellet, vt dum omnia latera omnesq; muri partes munitionibus firmandas sibi esse intelligunt, pro oppidi magnitudine diligenter muniunt. Ea res, quòd flumina omnibus à regionibus agrum interfecant, pontesq; saepe erant reficiendi, magnam difficultatem atq; moram afferebat: simul equites Epirotæ, quorum erat cū magnus in oppido numerus, tum virtus atq; industria singularis, improuisis incursionib. neq; die neq; nocte vllam hostibus quietem relinquebant, quotidieq; cū præda cumq; captiuis in oppidum reuertebantur. Vnum fuit magno vsui, quòd plurima eo tempore ad Maximilianum auxilia conuenerunt: nam & Aloisius rex ducē homine impigro, qui Palitiæ principatum obtinebat: & Iulius Pont. Max. & Alfonsus Ferrariensium dux magnos equitatus & peditatus ad illum miserunt. His præerant ab Iulio Ludouicus Picus, qui bello Mirādulam fratris oppidū occupauerat: ab Alfonsō Hippolytus eius frater, qui erat in Cardinalium collegio, magna animi ostentatione vir, magna sui confidētia, bellicarum rerum non ignarus. Venerant eòdem præter hos omnes ferè Itali aliarumq; nationum principes suis expulsi regnis cum ea copia, quā cogere maiorem potuerunt: præfecti Centurionesq; cum turmis cumq; militibus sua etiā sponte pleriq;. Ex Germania verò Galliaq; Maximilianus ingentes copias adduxerat cū ex omnibus propè regionibus, tum verò ex Sequanis optimū

num & plenissimum equitatū: vt vniuersum eius exerci-  
tum octogies millies hominum numerū supergressum opi-  
nio tenuerit. ad quem quidem Veneti sustinendum nihil nō  
curæ diligentieq; iam pridē adhibuerant: nam & sat ma-  
gnā bonorum militum manum ad se confluentium, & e-  
quitatum vtriusq; armaturæ, quanto opus erat, Patauium  
intulerunt, eisq; tribunos & præfectos fortissimos lectissi-  
mosq; homines dederunt: & omnes ferè naualium urba-  
norum operas, quas antea oppido recuperando eorū ma-  
gistratus Patauū subuexerat, iterum eò redire voluerūt,  
permanereq; quoad oppidum defendi opus esset. Præter  
hos sagittariorū è plebe urbana, atq; ab Epiro Græciq;  
plurimis cohortibus euocatis, dato stipendio idem vti face-  
rent mandauerunt: vt essent milites omnes numero ad mil-  
lia quatuordecim, equites cataphracti ad sexcentos, Epiro-  
tæ ad septingentos, qui sagittis vterentur ad quingentos.  
Ex nobilitate quoq; primarij adolescentes permulti reip.  
hortatu se in oppidum inferre non dubitauerunt cum suo  
armatorum comitatu singuli: vt pleriq; Senatorum & ma-  
gistratuum liberi ea obsidione, quos oportuit, militiæ la-  
bores & ærumnas forti animo pertulerint. Lauredanus  
quidem dux princepsq; ciuitatis duos ibi filios & ipse in  
armis habuit: quos per plures item ex nobilitate ciues co-  
mitati, haud paruum clientū militumq; numerum secum  
adduxerunt. Ad priores etiam legatos Gritum Maurūq;  
tertium legatum Ioannem Paulū Gradenicum, cui ex vul-  
nere ad Ciuidale Belunianum in vitæ periculum adducto  
Franciscus Capellus legatus successerat, Patres addiderūt,  
qui labores & vigilias inter se partirentur. Postremò tor-  
menta omnis generis, arma omnia, vectium, ligonum, re-

liquiꝫ; ad terram fodiendam instrumenti vim ingentem, cūq; ijs frumenti magnum numerum, ceterosq; abunde comineatus ad inopiam leuandam Patauium importari curauerunt. quibus rebus omnibus accessit, vt quoniam agrestes homines, quod essent reip. amātissimi, passim ab hostib. diripiebantur, vulgoq; in vinculis atq; in omni supplicio detinebantur, vt pleriq; vitam cruciatibus amitterent, non paruus eorum numerus, vt tuti esse possent, se in oppidum intulerit, qui munitionibus instituēdis magno reip. vsui ad celeritatem fuit. Illa quoq; non postrema Patres cura cogitatioq; tenuit, propterea quod existimabant ea bina flumina, quae Patauium inferuntur, de quibus supra dictum est, esse hostes primo quoq; tempore auersuros: ne tanta hominum multitudo farina deficeretur, vti molae frumentariae, quas iumenta verterent, omnibus in oppidi regionibus & vicis aedificarentur: nam plurimae, antiquitus in oppido quae erant, aqua subtracta vlli esse vsui non poterant. demum, quod omni ab oppidi latere omnesq; ad portas erāt prooppida in agrum porrecta longo pleraq; tractu lōgisq; vijs, quorum partem Patauini Venetiꝫ; ciues animi causa magno sumptu exaedificauerant, cum sacris aedibus ac sanis: ea prooppida, ne hosti receptacula munitionesq; praeberent, legati dirui mandauerant. Sed ea res parua erat ex parte confecta, cum Maximilianus singula oppidi latera quinque fluminum alueis transmissis circumuectus, vrbs situ vndiq; perspecto, vno in loco omnes suas copias continere, vt à captiuis cognitū est, oppidūq; aggredi collectis virib. statuerat. Quod vbi Patres intellexerūt, alios decem ex nobilitate ciues Patauium miserunt, qui cum obaeratis et cliētibus suis fide praestantibus, ad om-

nia obeunda munera legatis præstò essent. Iis oppidum ingressis ratio inita est, qui numerus nobilium ad obsidionē sustinendam se Patauium intulerit: ij fuerunt centum septuaginta sex: quique item ex plebe optimorum ciuium: sed is exiguus fuit. Iidem Patres, quòd ægerrimè ferebāt ab Alfonso Hippolytum fratrem magna cum manu ad Maximilianum auxilio missum, omnemque ei commeatum ab illius finibus, omnes ad tormenta exercenda res Ferraria subministratas, triremes quinq; à Tergestinis, quos obsidebant, euocatas, atque è naualibus nauigiola perplura educta atque adornata, fossam Clodianam progredi iusserūt, vt Pado subuecti in Alfonsi fines impetum facerent. Progressis, quoniam Maximilianum omnem suam copiā, omnes opes, Patauium vt caperet, breui explicaturum constabat, Senatus ad earum præfectum Hieronymum Contarenum misit, vt Patauium legatis auxilio cum classiarijs contenderet: atque is statim nauiculas conscendens, flumenque Medoacum, vbi in mare influit, ingressus, eo festinanter superato armatos homines quingentos, ex quibus erant sagittarij Cretenses plerique, ex sua classe in oppidum intulit: hisdem diebus Petrus Pascalicus à Senatu lectus est, qui ad regem Pannoniæ in foedere, quo cum rep. plures annos fuerat, continendum proficisceretur: valde enim illum et Iulius, et Aloisius, vti supra demonstrauius, et cum ijs vnà Maximilianus per internuncios, perque literas hortabantur atque obtestabatur, vt bellum inferret reip. In Foroiuliensibus autē, et in Carnis, ab hostibus, qui Goritia reliquisque Maximiliani ex finibus earū regionum coacti reip. ditionē inuasent, nihil est cessatum: pluraque oppida et castella, cum incursionibus et vicorum incendijs, tū castris et tormentis positis sunt ab ijs

tentata, nonnulla capta & diruta: molestiq; saepe nuncij ad urbem in Patauinū bellum suspensam & occupatam, praefectorum & legatorum literis allati, graues tumultus & querelas excitauerunt. Quibus in rebus praecleara Hieronymi Saorniani virtus fuit, qui suorum cliētum & agrestium ac montanorum hominum manu, omnes ferè hostium impressiones atq; impetus audacissime sustinuit, itaq; postea pridie calendarum Octobrium, quo die antiqua consuetudine ciues sexaginta maioribus comitijs creantur, qui annum in Senatu sint, cum is honorem est adeptus, atque ita quidem adeptus, vt omnes ciues principesq; ciuitatis suffragiorum numero vicerit: quae res antea nunquam acciderat, vt cuius maiores domicilium extra urbem semper habuissent, ipse in urbem suis modò temporibus ac per occasiones ventitavit, in Senatum legeretur. Vt autem pluribus etiam suffragijs, quàm ullus alius, eam rem consequeretur, id verò magnopere mirum omnibus atq; inauditū fuit: sed eam ipsam comitiorum & ciuitatis in illum beneuolentiam paulò post ea res etiam auxit, quòd is Castellum Nouum, egregium in Carnis municipium, peropportunè ab hostibus custoditum, magno animo aggressus, tormētis celeriter prolatis muroq; verberato, ad deditiōem nulla neq; rerum neq; salutis conditione interposita compulit. Erat Fori Iulij aeger Franciscus Capellus legatus, neq; exercere se poterat: quod vbi Patres cognouerūt, Aloisium Delphinum ei legatum euestigio submiserunt. Aucta verò paulò post suspiciōe, Patauio magnopere cōmunito Maximilianum suas copias ad Taurisum obsidendū velle conuertere, Patres Aloisium Mocenicum magna cum potestate legatū cōmiserūt, oppidumq; rebus omnib. munire decreuerunt.

creuerunt. quod cum esset difficilius, exhausta & pecunia  
& militibus & plebe ad bellum idonea ciuitate, magnam  
ea res perturbationem afferebat: quam tamen subleuabat,  
Patres certiores esse factos, aquā Silis fluminis, quod nō lō  
gē ab oppido multis fontibus largiter ex terra exit, posse  
munitionibus adeo sustineri, vt quingentos eoq; amplius  
circa oppidum passus maiori ex parte ager sub aqua redi-  
gatur, ne hostibus ad murū accedendi facultas sit: easq; mu-  
nitiones propē confectas esse. Maximilianus autem, siue id  
nunquam in animū induxerit, siue desperarit posse ad exi-  
tum perducī, exercitus sui partem ad eam agri Patauini  
regionem, quæ ad Fossam Clodiam mareq; pertingit, fer-  
tilissimam scilicet pecorisq; plenissimam, quod sua illō re-  
liquarum regionum homines armenta contulerant, præda  
tum misit: qua ex re tanta agrestium multitudo cum con-  
iugibus ac liberis, cūq; ea, quam subito abripere secumq;  
supellectilem potuerunt, missis ad eos publicē nauiculis, fu-  
ga se in urbem contulit, loca vt publica omnia porticusq;  
ac fana & priuata domus plurimæ ea turba cōplerentur.  
His Senatus reip. pecunia commeatum dari iussit, quoad ho-  
stium discessu liberum illis reuerti domum fuit. Post hæc  
ad Medoaci munitionem, quā cymbæ ad urbem transmit-  
tuntur, omnesq; ad illud vadum urbanorum latus ho-  
stes plurimas incursiōes multis & illatis & acceptis detri-  
mentis cū fecissent, castra quamproximē potuerunt ad  
muros Patauinos à Septentronibus posuerunt, & tormen-  
tis oppidum quater verberareq; cœperūt, tametsi à mili-  
tibus reip. haud parua cum clade repulsi sæpe fuerint. Ma-  
ximilianus ipse in templo Cartusiano, quod templū oppi-  
dani non diruerant, medio ferē castrorum spatio consedit.

Erat ab ea regione portæ oppidi proxima turris terrea muro coniuncta, sed in agrum exprorecta, quantum eius spatium in latitudinem patebat, pedes propè quatercentum, quam magna celeritate ac diligentia imperator legatîq; excitari mandauerant, vt esset toti ei lateri contra hostium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos: ad eamq; conficiendam non agrestes modò homines militesq; reip. operam nauauerant, sed ciues etiam ex nobilitate Veneti, atq; ipsius Lauredani principis liberi suis terram manibus conuexerant. Ei turri Citolus Perusinus cum militibus mille præpositus, Gallos atq; Germanos ex hostium copijs aditum incursionibus aggressibusq; tentantes, sæpe reiecerat. quod ægrè passus Maximilianus, Hispanis militibus ad se vocatis, magnis propositis præmijs eos incendit, vt aggredi capereq; munitionem vellent. Erant autem milites ij ex omni numero virtutis opinione facîle principes: qui re magno animo suscepta, quinq; signis ad munitionem se audacijsimè contulerunt: reliquæ copię in armis non longè ab illis se continebant, eius rei finem operientes, si negocium ab Hispanis perficeretur, sese in oppidum confestim illaturæ. Citolus suos silëtio adhibito intra munitionem versari iubet, resq; ad ignem celeriter cõprehendendum idoneas in vallo disposuit: atq; in illos, qui scalis positis nemine repellente omnib. à partibus se in munitionē inferebant, vbi constitere, ignem succendit: à quo plurimi correpti sunt: reliquos acerrimè inuadit, omnesq; interficit, deijcitq; simul tormētis in proximos emissis, eos fugæ dat, vt se ad Maximilianũ magna clade accepta retulerint. Etiam Lactantius egredi ausus vsq; ad hostiũ munitiones acceßit, cædeq; facta, et tormentis hostium confixis, pulue-

puluerēq; ad ea exercenda partim succenso, partim abdu-  
cto, nullo ex suis desiderato, in oppidum rediit. Is cunctus  
rerum certam propè spem inclusis attulit, nihil regem in  
ea obsidione profecturum. At legati, quod stipe, quam da-  
rent exercitui, plures dies caruerant (nam propter hostiū  
excursiones suspectaq; omnibus à regionibus itinera nihil  
afferri poterat) missis tandem ad Senatum internuncijs,  
quo id pacto fieret, constituerunt: itaq; Senatus aurum in  
stipendia ad Medoaci ostium, quod est ad Fossam Clodiam  
quinq; millia passuū, in Decemuirū nauiculis misit: ibi  
equites Epirotæ ex oppido noctu emissi trecenti, eam sti-  
pem acceperunt, atque inter se ita diuiserunt, vt qui velo-  
cioribus equis vterentur, eorum quisq; eius pecuniæ par-  
tem ferret, vt si hostes in reditu eos adorirentur, reliqui  
prælium committerent, impetumq; sustinerent, ij se fuga  
hostibus eriperent, atq; in oppidum contendere perseue-  
raret. Epirotas autem equites Lucius Bononiensis cum e-  
quitibus grauioris armaturæ ducentis, paucis est post ho-  
ris subsequutus, vt cum illis reuertentibus se coniungeret.  
atq; vt hostes, si se adorirentur, eluderet, duos magnopere  
valentes mulos sacculis arenæ plenis ad speciem atq; simili-  
tudinem pecuniæ dorso impositis medio in agmine secum  
duxit: qui quidem muli magno ei vsui fuerunt: hostes enim  
per exploratores de ea equitū reip. profectioe certiores  
facti, medio ferè in itinere ingenti equitatu circūfuso ita se  
vndique in nostros redeuntes intulerunt, vt ijs qui stipen-  
dium ferebant, facultas fugiendi non daretur, sed omnes  
per æquē sese defendere, manusq; conferere cogentur. Ve-  
rumenimvero vbi illos in mulis sacculos hostes medio in  
prælio viderunt, eam illam esse prædam, quam petebāt, ræ

ti, magna se pars ad eos capiendos conuertit, vt reliquis minus negocij ad se defendendos relinqueretur. Epirotæ autem qui cum mulis erant, neq; numos ferebant, vt hostes longissimè ab reliquis abducerent, quemadmodum Lucius initio cōstituerat, fugæ se sinistrorsum per campos vnā cum illis raptim dederunt: quos quidem hostes plura passuum millia consequuti, tanta celeritate vti tamen non potuerunt, vt eos assequerentur, quoad emissus oppido ab legatis id futurum opinantibus equitatus recentissimus saluti atque præsidio illis fuit. Lucius ea de re atq; consilio magnam ab legatis atque ab omnibus laudem, optimum sui laboris fructum, tulit. Milites deinde Hispani LX. ex Maximiliani exercitu perfugæ in oppidum à legatis recepti sunt, stipendiumq; eis datum. Diebus autem insequentibus non semel eam, de qua supra dictum est, turrin Maximiliani milites omnium gentium aggressi, præterquàm quòd Citolum vulnerauerunt, eundem reliquis in rebus euentum habuerunt, quem Hispani antè habuerant. Et murus oppidi eo ab latere diu multumq; verberatus, tametsi longissimo spacio conciderat, tamen & hostibus ipsa eiusmodi ruina ascensum impediebat, & oppidani eodem tēpore intra murum fossam & vallum efficiebant: quibus rebus muro ipso longè tutior ab ijs defendendi sese ratio institutioq; comparabatur. Vni tamen tormentorum generi adhiberi remedium non potuit, ne vrbi noceret: quod quidem erat eiusmodi, vt pilam lapideam sesquipedis crassitudine in sublime ad fastigij speciē magno cœli tractu propelleret: ea intra oppidum pila ex alto cadens domorum tecta contignationesq; perforabat, lateq; vastabat, cum eorū, qui suberant, interitu, ruinamq; inopinantibus afferebat.

bat. Sæpius tamen accidit, vt in vias atq; in fora & aperta ædium cæ pile, quàm in tecta cœtusq; hominum deciderent. Quas ad res omnes Maximilianus illud etiam addidit, vt literas sagittis alligatas intra oppidū mitteret, quibus literis oppidanos hortabatur, vt à rep. deficerent, plurima eis atq; ingentia pollicitus, si ita fecissent: sed cum ea quoq; re nihil proficeret, singulis autem diebus plurimi ex eius exercitu vel tormentis interficerentur, vel ab Epirotis equitibus caperentur, commeatusq; interciperentur: timeret etiam, propterea quòd perpetua serenitate vsus fuerat, si pluuie, vt plerunq; accidit, cum per diu cœlum siccū fuit, magnis tempestatib. deciderent, fore vt relinquere tormenta Patauiο decedens cogeretur, quæ reportari impeditis itineribus non possent (ita fiunt breui tempore imbribus cadentibus lutosæ omnes circa oppidum viæ) ad diem sextum Nonarum Octobrium sublatis castris Medoacum ad vicum Aggeris traiecit, pontemq; rescidit: deinde itinere lentissimo Vicetiā se contulit, atq; à ciuitate honorificentissimè receptus, manere tamen in oppido noluit. At Alfonso copię cum domum versus cum impedimentis iter facerēt, equites leuissimi Patauiο emissi impressione in eos ad castellū Bouolentiā, quod abest Patauiο passuū millia duo decim, cædeq; facta, milites ex ijs centū, equites sexaginta, cœturiōemq; ipsum qui castellum custodiebat, & præfectū equitum captiuos fecerūt. Alfonso frater vix agreq; fuga se hostibus eripuit, castelloq; capto, magno frumētī numero, magno multarū rerum cōmeatu, tormentisq; triginta cū iumentis curribusq; sunt potiti: ijsq; Patauiū adductis, frumentum omne, vt esset agrestibus hominibus inopiæ leuamen, ibidem dereliquerūt. Ioannes Græcus ab Iulio dimis-

sus vulnere leuissimo accepto eam rem confecerat. Hippo-  
 lytus Montanianum, vt eo in loco reliquum euentum re-  
 rum opperiretur, se contulit. Discessu in vrbe Maximilia-  
 ni cognito, ob agresuū in remp. fidem Senatus iussit, vt an-  
 num totum nemo ex ijs qui deberet, à creditoribus ad sol-  
 uendum cogi posset. agrestesq; in urbe qui erant, triduo re-  
 uerti domum iussi. Hostibus progressis animaduersum est  
 eos sub terra tabernacula habuisse, vt tormentorum ex op-  
 pido verberationes euitarent: cuniculosq; per plures, vt oc-  
 cultè muro appropinquarent, effecisse. Tellus ipsa odore  
 tetro infecta, sanguinem necemq; redolens, cadaueráque  
 omnibus in locis iacentia horridum spectaculū halitumq;  
 toto ab eo oppidi latere ac regione multos dies præbue-  
 runt. Senatus vbi cognouit templum Cartusianum, cuius  
 diruendi facultatem legati nō habuerant, magno vsui Ma-  
 ximiliano fuisse, firmæq; ei munitionis & castelli instar  
 præbuisse, arborumq; magnam vim sæpe hostes reip. mili-  
 bus occultauisse, sæpe à tormentorum ictibus defendisse,  
 legem sciuit, vt à portis mœnibusq; mille & quingentos  
 circa Patauium passus quoquouersus ædificia omnia corū  
 domini solo æquarent, arboresq; cuiusq; generis succide-  
 rent, lateres, tegulas, marmora, ferramenta, materiam ari-  
 dam viridemq;, quò vellent, asportarent: qui id intra dies  
 præstitutos non fecisset, illius eiusmodi fisco omnia cessu-  
 ra: maximè enim voluit, ea vt planities spatiumq; ab omni  
 re, quæ umbrā faceret, essetq; solida ac resistens, nudum va-  
 cuumq; permaneret, ne Patauium vllò cum hostium com-  
 modo, aut præsidio amplius obsideri posset: eaq; postea  
 lex ad hoc vsq; tempus sancta inuiolataq; semper fuit. Eo-  
 dem tempore, quòd hostes in Liburnis reip. fines longè la-  
 teq;

teq; vastabant, Rassumq; municipium ceperant, rogatio est in Senatu lata, vt Aloisius Delphinus in Foro iulii sibus legatus cum Epirotis equitibus & manu reliqua eò celeriter contenderet. Interim Angelus Triuisanus ab Illyrico ad Istros classem triremium quindecim, cui præerat, à Senatu iussus contulit: Flumenq; municipium, quod superiore anno captum ressp. Maximiliano restituerat, audacissime aggressus, interfectis repulsisq; propugnatoribus, & scalis ad murum positis, paucarum horarum spacio cepit. milites remigesq; illati cæde facta oppidum diripuerunt: qua in direptione cum vidissent reip. insignia, quæ in foro posita fuerant, scædè diruta deletaq; ab oppidanis fuisse, indignatione perciti oppidum incenderunt. Idem de arce, cuius præfectus eodem se die dedit, animorū ad vlciscendum ardore nequedum sedato, fecerunt. iisdem diebus cū ad urbem Hieronymus Saornianus venisset, in Senatu cum reliquis, qui eo munere fungebantur, affuit: nam (vt suprà diximus) senator suffragijs declaratus fuerat. Accidit autē, vt eo ipso tempore cum magistratū à Senatu creari necesse esset, qui magistratus rationes tabulasq; militares conficit, quibus in tabulis nomina eorū qui stipendia reip. faciunt, continentur, exercitibusq; conscribendis, aut omnino recensendis, probat, reijcitq; quos vult: quem Collateralē appellāt Veneti: creaturq; perpetuus: quas ob res magna est is apud exercitum autoritate, magnoq; apud remp. in honore, & nomine. Eum magistratum cum legere Patres vellent, omnia serè Senatorum suffragia Saornianum renunciauerunt, hominis honori dignitatiq; fauentium: qui Senatui parens, ad exercitum munere obeundo Pataviū est profectus. At in Tergestinorum finibus noctu ma-

nus hostium quæ prædatum oppido exierat, interfecta est à reip. militibus, & capta: pauci sylvarum & noctis auxilio se occultauerunt, cladisq; nuncium oppidanis attulerunt. Cognita interim cum Maximiliani mora medio inter Vicetiam Veronamq; itinere, tum Hippolyti ad Mōtanianum oppidū cum suis copijs sessione, legati Lemnicoveriti, quod inter utrosq; ferè erat, milites quos oportuit eò miserunt, oppidumq; munierunt. Id Hippolytus intelligens linguam non continuit, questusq; est, graui addito ad querelam maledicto, eius rei, quam se breui posse consequi confidebat, euentum sibi è manibus ereptū fuisse. ea hominis in reip. maledicentia Senatus cognita, Alfonsoq; studium obsidendo Patauio adhibitum repetens, ad illam cogitationem redijt, vt vtriusq; plena odij facta atq; consilia, quamprimum vindicanda omnibus sibi esse modis statueret: itaque literæ secretò ad Angelum præfectum classis datæ, Fossam Clodiam classem celeriter adduceret: atq; vti nauigia minora Pado flumine subuehenda in naualibus confestim ædificarentur, præfectis eorum imperatum, ad simulationem Tergestinis obsidendis: vtq; is sermo in vulgus efferretur, ne cognito reip. consilio suos fines Alfonso præmuniret, Patres curauerunt. tametsi Angelus propterea quòd ad Rappam recuperandum Delphinus legatus & Franciscus Pascalicus equitum Epirotarum præfectus cum suorum manu & classiarijs eo se tempore conferebant, quod quidem paulò post primo impetu ceperūt, tardior ad eam rem fuit. Maximilianus missis ad Gasparem Seuerinatem, quem Vicetiae oppidi præsidio reliquerat, militibus Germanis tribus millibus, Veronā adiit, pauloq; post cum paucis equitibus se Tridentum contulit: ad quem

quem vxor eius eòdem venerat. De ea re Senatus per exploratores certior factus, simul reip. amicorum literis admonitus, Vicetinos ob Maximiliani praefectorum quotidianas direptiones, quas quidem propterea, quòd nulla eis ab rege stipendia persoluebatur, in oppidanos exercebāt, ita esse animatos, vt si ad eos exercitus reip. mittatur, fore vt eum in oppidum recipiant: pluribus biduo dictis sententijs, vt legati ad Vicetiā recuperandam omni cum exercitu proficiscerentur, tandem censuit. quodq; ad eas res quae parabantur, magno auri pondere resp. indigebat, legē sciuit, quam postea maiora comitia probauerunt, vt magistratus omnes sine vlla stipe rei; pub. impesa sex à Calēd. Nouembris menses obirentur: nam tributa quidem exigi amplius propè non poterant, excussa prorsus iam tot in aëarium collationibus, tot priuatim dispendijs ciuitate: constabat enim subductis rationibus vndecies millies in id bellum auri libras remp. insumpsisse: multumq; per sese ciuium plurimos, obsidione Patauina sustinenda, multū suorum fructuum direptionibus, & propinquorum, quos captiuos hostes fecerant, redemptionibus amisisse. Imperator legatiq; Senatus voluntate intellecta, recensito exercitu, qui erat praeter equites, militum octo millium, Citolo, qui ex vulnere nondum conualuerat, & Lucio & Ioanne Graeco oppidi praesidio relictis, Patauio exierunt, atq; ad Camisanum vicum in Vicetinis finibus castra posuerunt: cum quibus Tauriso profectus Petrus Marcellus legatus, milites mille, equites Epirotas centum quinquaginta, copiasq; alias coniunxerat. postero die omnes ad eam oppidi portam, qua Patauū aditur, se ostenderunt: & quòd murus eo ab latere vetustate dirutus propè intermittebat, fossae a-

qua quæ pluuijs creuerat, magna difficultate superata, paucis Germanis defendentibus, Naldius cum suis militibus se in prooppidū iniecit: Gasparemque; Seuerinatem, qui ut Venetos repelleret, cum turma equitum eò properauerat, prælio commisso, disiectis primo impetu quamplurimis militibus, interfectis perpaucis, tandem in oppidum repulit: Naldijque; peregregia ea in re virtus fuit. alio ab latere Lactantius muro tormentis perforato, atque immixtis per foramina militibus, magnum timorem Germanis propugnantibus iniecerat: quæ quidem prælia nox diremit: et nisi diem totum ingentes pluuiæ vias omnes fœdauiſſent, fossas oppleuiſſent, difficilioremque; militibus pugnandi rationem, et murum verberandi tormentarijs effeciſſent, vrbs eo die capi facile poterat. Naldius tamen et Lactantius cum suis cohortibus, ab ijs ubi pugnauerant locis eam nocte non disceſſerunt, portasque; oppidi atque fossas obsiderunt. Erat vnus intus ciuis Guidus nomine, qui, dum ea sic agerentur, magno reip. amore incensus, tribus cum liberis aliquotque; amicis suis prooppidi portam, quæ Berga appellatur, cepit: missoque; ad Venetos, qui rem significaret, pollicereturque; eis se portam illam traditurum, armatus ut eos exciperet expectabat. Legati equites Epirotas quinquaginta eò miserunt, qui rem cognoscerent, ad seque; reuerterentur. Guidus è summa turri visis equitibus, magna voce appellare eos coepit, valuasque; aperuit: illi se intromiserunt, paulumque; progressi milites Germanos offēderunt, qui facto in eos impetu, extra oppidum, quæ venerant, vniuersos repulerunt: portaque; capta, cum Guidus reliquique; de superiore loco se defenderent, neque; Germani expugnare illos possent, dato ab eis iureiurando nihil sibi nocituros

Germani-

Germanos, sese eis dediderunt, statimq; omnes ad vnum contra fidei religionem partim ab illis interfecti sunt, partim se è turri præcipitauerunt, atq; ita interierunt. Ea nocte à Germanis cōcilio ciuitatis coacto, cum illi nihil præstidij ab animi fortitudine peterent, timore autem propè omnia trepidationeq; administrarentur, eorum voluntate legati tres è ciuitate ad imperatorem & legatos missi, oppidum se reipub. tradituros pacti sunt, ea conditione interposita, vt quibus antea legibus sub reip. imperio Vice-  
tini fuissent, eisdem etiam deinceps vterentur: Maximilianiq; militibus nullum ab exercitu detrimentum inferretur, liberumq; illis esset suis cum rebus proficisci. His firmatis conditionibus Hieronymus Saormianus præfectiq; aliquot cum parte exercitus temperatiore manè in oppidum recepti sunt: reliquis exercitus est ingredi prohibitus, ne urbem nobilem opulentamq; diriperet. Hostes eodē die Germani milites quatuor mille quadringenti, optimè armis instructi, ipsi & ætate & corporibus spectari maxime & timeri digni, & nisi animus eorum ducibus defuisset, ad eam urbē tuendam præclarè idonei: equitesq; LX. cum tormentis & impedimentis, & magno fœminarū & calorum numero abierunt, Gasparq; Seuerinas cum equitibus paucis: atq; ij cū Veroniam petere vellent, Bassianum iter facere sunt iussi. Postremi equites Iuliani CXX. qui vnā cū reliquis imperata Maximiliani faciebant, oppido egressi Ferrariam profecti sunt. quibus emissis omnibus, imperator & legati se in oppidū intulerunt: quos ciuitas incredibili letitia excepit, vt propè ab interitu erepti esse omnes viderentur. Senatus ijs de rebus certior factus, ci n legati ad eum scripsissent, imperatori esse in animo ad

Montanianum reliquaq; eo ab latere municipia, quæ ab hostibus tenebantur, exercitum ducere: eo consilio impro-  
 bato literas ad eos dedit, victoriæ ipsorum ad magnas res  
 conficiendas cursum leuioribus ijs occupationibus non es-  
 se interpellandum: nec fortunæ rei publicæ afflāti, & præ-  
 stò ei esse properanti, moram asserri oportere: itaq; ad Ve-  
 ronam recipiendā statim contenderent: fore enim, si eò ce-  
 leriter se conferrent, vt hostes imparati offendantur, ciui-  
 tasq; & amico per se in rempub. animo, & hostium duris-  
 simis imperijs lacescita, oppido non cōmunio, primo ag-  
 gressu sese dedat, vti Vicetina fecerit. Atq; vt exemplo e-  
 ius reliquæ ciuitates optimam de rep. spem caperent, Vice-  
 tiæ atq; agri eius finiumq; incolis quinq; annos omnium  
 rerum atq; onerum leuatio est permissa: vtq; ij, qui debēt,  
 annum ad soluendum cogi nequeant, ei legi additum. Alo-  
 sio etiā Porto, è Vicetina nobilitate fortis ac præstantis ani-  
 mi adolescētī, ob eius in remp. studiū, ad equos leuis arma-  
 turæ, quos ei Senatus antea dederat, alteri totidem sunt ab  
 eodem Senatu additi. etiam vt legati edictū proponerent:  
 si ciues, qui in hostium partibus fuissent, intra dies X V.  
 Vicetiam redierint, veniam illis à Senatu datum iri, præter  
 paucos, quorum nomina recitata sunt, Patres sanxerunt:  
 Christophoroq; Mauro legato, ne Vicetia, reliquis tribus,  
 ne ab exercitu discederent, mandauerunt. Interim Angelus  
 præfectus classis, qui fossam Clodiam trèremes duodecim  
 adduxerat tribus in Istria relictis, Senatus permissu ad vr-  
 bem venit, Patresq; monuit, Pado flumine classē subue-  
 hi sine magno periculo non posse, munitionibus in ripa,  
 vt ferebatur, ab Alfonso institutis, aqua propter siccitates  
 exigua, nullo exercitu, qui à terra classi præsidio sit: præ-  
 stare

stare autem, eas omnes quas haberent copias Veronam magna cum rei bene gerendæ spe ac tuto mitti, quàm incerto euentu earum ullam partem in Ferrariæ finibus periclitari: esse Pisaurum, esse Anconam, quæ ipse oppida, si Senatus velit, posse capere non diffidat: habere enim se ab eorum nonnullis ciuibus internuncios, qui totum munus ciuitates concitandi, rei quæ pub. se dedendi sibi deposcant, modo ipse classem reip. ad illa oppida ex inopinato asserat. esse Fanum, Senogalliam quæ, quas diripere atque incendere nullum negotium sit. quod si à Romanæ reip. municipijs abstinentum sibi esse Patres statuunt, posse se in Apuliam paucis horis ex Illyrico trajicere, ibi materiam sibi non defore, neque etiam fortunam Dijs volentibus defuturam, reip. iniurias à Ferdinando rege illatas vlciscendi. Hoc sermone apud Decemuirum magistratos habito, Angelus ad classem redijt. Decemiri paulo post reliquis repudiatis rebus, classis in Alfonsi fines profectioñe deferri è rep. esse, legè iussērūt. Alia deinde lex ab eisdem Decemuiris iussa, ut eorum Taurisanorum & Patauinorum & Vicetinarum ciuium, qui hostes reip. fuissent, bonorum possessiones reip. nomine caperentur: Duumviri quæ ad eam rem Ioannes Cornelius, Antonius Condulmerius, qui ambo ex Quinquemiris Senatu regendo erant, lecti, quibus binæ centesimæ ex ijs, quæ fisco addixissent, cederent. Classis itineri mora à Decemuiris adhibita senatoribus sermonem dedit, querentibus, tot Alfonsi contra remp. plena odij scelerum quæ, facta non vindicari: frustra triremes classem quæ ex Istris euocatâ, frustra classem alteram biremium & paruorum nauigiorum ad Padum Athesim quæ, flumina facilius enauiganda iam esse cõparatam: tantum pecuniæ temere impensum, si Decemiri pro-

fectionem impediant. quibus illi vocibus permoti rem Senatui permiserunt. Senatus pluribus dictis sententijs literas ad magistratus Patauinos dedit, Fossam Clodiam ad praefectum classis milites quingentos statim mitterent. Angeloq; mādauit, vt ijs in naues receptis militibus ostio Carbonaria Padum ingrederetur, praedas abigeret, regiones quas posset ab vtraque ripa popularetur. postroq; die in foro edictum publice propositum, qui vellent ad diripendos Ferrarienses suis priuatim nauibus cymbisq; proficisci, per rempublicā licere, dum praefecto classis dicto audientes sint: quam quisq; praedam faceret, suā fore. Ea re magnus plebis numerus suis in nauigiolis se ad classē cōtulit. Dum haec administrātur, imperator legatiq; Veronam cum exercitu vadentes, Suauium municipium in plano ad primam Alpiū decliuitatem ita positum, vt arx in iugo sit, praemisso equitatu & Gradenico legato receperunt, interfectis hostium militibus non paucis, qui à Maximiliani praefectis Verona, vt in arcem se inferrent, mittebātur: cumq; Veronae appropinquarent, equitatum praemisērūt, vt ad portas se ostenderet, si quis in oppido tumultus per amicos reip. fieret. Iis ad portas perequitātibus, nemine se commouente, equites Sequani centum egressi, praelio leuissimo commisso se in oppidum receperunt: ex quibus captus vnus legatis renunciavit, esse in oppido militum tria millia, atq; ex ijs Hispanos plurimos, equitum alteros totidem, ex quibus erant Galli quingenti, quos amissa Vicetia praefecti regij Brixia euocauerāt. Quibus rebus cognitis, imperator veritus ne si eius copiae oppido circumfunderetur, aliquod incōmodum acciperet, substitit, neq; ausus est vltcrius progredi. quod quidem imperatoris consilium ab

Gritto

Gritto & Marcello legatis, atq; ab Lucio, qui ad eos Patavio venerat, probabatur: tametsi Gradenicus legatus & Naldius audendum & conandum esse dicerent, oppidumque obsideri, & muros verberari oportere cōtenderent. Inter quos cum minus convenire potuisset, scriptis ab legatis ad Senatum de ea controuersia literis, quid ab eo iuberentur, expectare constituerunt. Senatus legatis respondit, imperatori se totā rem permittere: confidere sese, quod ē rep. sit, illum facturum. Atq; interim, quoniam ab Lemniaco milites equitesq; reip. cum agrestium manu ab ea regione quæ trans Athesim est, ad Veronæ muros iussu imperatoris se conferebant, ipse quoq; suo ab latere partem exercitus ad oppidū misit, ut hostes duobus à lateribus petisse intelligerēt, ciuitasq; ea re magis magisq; permoueretur. acciditq; ut utrique sæpius cum hostibus congressi, non paucos ex ijs caperent, plures etiam interficerent: præliisq; secundissimis se reciperent: neque tamen is, qui futurus putabatur, oppidanorum motus fuit: neque ciuitas parte ab vlla deditionis vocem aut indicium protulit. Eas ob res relicto ad Suauium præsidio, Epirotis adiectis equitibus qui quotidie ad Veronæ portas currerent, & pabuli cuius magnopere hostes indigebāt, copiam eis fieri prohiberēt, imperator ad Montanianum recipiendū cum reliquo exercitu profectus, qui oppidum reip. nomine peterent, manē adueniēs præmisit. Præfectus Alsonso tueri se illud velle cum respondiisset, tormentis statim positis muri partem Veneti celeriter deiecerūt: qua re oppidani permoti deditionē facere volentes, modò ipsi militesq; suis cū rebus tuti ab exercitu essent, recepti non sunt: itaque postriedireptionem atq; interitum veriti, sese nulla cōditione

interposita dediderunt. Erant in oppido Alfonsi milites equitesq; septingēti, qui omnes armis, equis exuti sunt. Augustinus Villa praefectus in custodia habitus, ut cum eo Federici Vendramini, qui propinquus legato Gritto erat, atque in municipio eorum finium Abatia, cui praerat, paulò antea captus Ferrariae custodiebatur, permutatio fieret. Postero die Atestini ad rempublicam redierunt. quos Rodigienses cum plerisq; earum regionum municipijs imitati, idem fecerunt. Monsilice dein, missis eò Patauinis è vicinitatibus agrestium hominum aliquot millibus, qui paruo equitum militumq; interiecto numero magni exercitus speciem praeberunt, atq; oppidanis, qui illos in acie aducentes de superiore loco prospectabāt, ea re perterritis, se reipublicae dedit. In Alpium quoque iugis Marosticani, finitimiq; his in plano positi Bassianenses, Germanis eiectis militibus, tum maximè campestres Citadellani, missis ad praefectos Patauinos internuncijs, rei se pub. lubentissimi dediderunt. Eorū finium pagis octo, propterea quòd praestanti studio in rempub. fuissent, eadem munerum leuatio, quam Senatus Vicetinis dederat, atq; securitas tradita. Laxior etiam custodiae cōditio Leonardo Trissino, Brunoro, Saregio, reliquisq; Maximiliani praefectis, in vrbe captiui qui erant, ob regias literas ad Senatum scriptas est à Decemviris permissa. Angelus interim classis praefectus, subuectis Pado nauibus, utranque fluminis ripam proximamque ripis loca populabatur. praedae vndique abigebantur: quae asportari minus poterant, corrumpabantur. aedificia villaeq; quarum magna erat & peregre illis in finibus copia, quoquoersus incendebantur. quod ubi Senatui est allatum, literas ad Angelum dedit, aedificia incendi non  
opor-

oportere: quas vellet, atque vnde vellet, prædas ageret: à villis atq; tectis comburendis abstineret. Ingens autem vastitas iam illata, eas literas inutiliores reddidit. In vrbe Patauinis ciuibus, qui erāt in custodia, quatuor, Alberto Traolino, Bertucio Bagarotio, Iacobo Leoni, Ludouico Comiti, propterea quòd in sexdecemuirum collegium à sua ciuitate adlecti, nullo vnquam laceſſiti maleficio, nulla iniuria pelleſti, hoſtiliter ſe in remp. geſſerant, Calendis eſt Decembribus in foro Decemuirum lege laqueo gula fracta, & bona fiſco addicta. quæ quidem res, quòd ſerè ſemper in vrbium & regnorum conuerſionibus fieri conſueuit, vt pleriq; in nouorum dominorum gratiam ſe prioribus dominis aduerſarios præbeant, à multis habita eſt aliquanto acerbior, & ab huiusmodi temporibus aliena: nanque multi eius ſupplicij exemplo fortasſe perterriti, ad reipub. nomen, atq; ad deditiōem effecti ſunt duriores. Ioannes Franciſcus Muſſatius item Patauinus eadem lege Decemuirum condemnatus eſt, vt in Creta inſula, quoad viueret, exularet: qui tamen quadriennio poſt ab exilio reuocatus eſt, patriæq; redditus. Angelus cum ad eum vicum qui abeſt Ferraria quinq; millia paſſuum, ad quem naues, quæ à vadis Venetis veniunt, appelluntur, ſuperato flumine claſſem adduxiſſet, hoſtes magna cum manu obuiam progreſſi duas ab aggeribus triremes, quarum erat vna, qua ipſe vehabatur, tormentis perforauerunt, remigēsque aliquot interfecerunt: qua neceſſitate adductus præfectus, quòd hoſtibus noceri propè non poterat (nam ripæ agger ad fluminis incrementa antiquitus inſtitutus eos tuebatur, ne vulnerari è nauibus ſagittarum aut fiſtularum & tormentorum iactu poſſent) ad vicum Poleſeliam in ea Padi ri-

pa situm, quæ Rodigium spectat, rediens, munitionem in altera fluminis ripa celeriter, excitauit, qua hostes, si aduētarent, repellerentur, neu classi nocerent. Vix effecta munitione, hostes, vt eam caperent, se non semel circumfuderūt. Postremò eam firmioribus copijs adorti, cū propè in aggere munitionis versarentur, Hercules Cantelmus, Sigismondi Neapolitani claro loco nati filius, magnæ spei adolescens, cū se audacissimè in propugnantes incitauisset, equi lapsu humi fusus à remigib. interfectus est. cuius in oculis amicæ manu scriptæ sunt repertæ literæ, quibus illa multis precib. ab adolescente petebat, ne cum Venetis prælio contenderet. Eoq; die Gradenicus legatus ab exercitu cum equitibus & militibus octingentis, Senatus iussu classi auxilio ad alteram fluminis se ripam contulit. Cuiusdale interim Carnicum in Alpibus, Feltriæq; arx, dein Scala municipium natura & artificio communitum, itineri, quo Germania magnopere aditur, adiacens, à reipublicæ copijs est capta. Erant in eius arce milites Germani octoginta (neq; enim serè plures capere locus exiguus poterat) qui se fortissimè defendebant: in quos cū à reip. militibus tormenta exercerentur, pilæ, quas emitterent, ipsos defece-  
runt: eamq; ob rem differri oppugnationem necessitas co-  
gebat: atq; vnus ex agrestibus, qui aderant, desiderari pilas  
sentiens, ad præfectos accurrens, ego vobis, inquit, oppor-  
tunè pilas dabo: ad proximumq; ei loco tumultum eos du-  
xit, quo à tumulto pilæ ferreæ triginta tegebantur, quas ho-  
stes abscondiderāt. Haud facile dictu est, quantum in bello  
fortuna possit. nā vt casus tulit, vt is agrestis, qui sciret eas  
ibi pilas esse, illo temporis pūcto eodem venerit, quæq; di-  
cerentur, audierit: ita casu magno factū est, vt pilæ hostiū  
tormentis

tormētis reipublicæ ita conuenirent, vt ad id confectæ viderentur: infart. eꝯ; ijs & eiaculatæ perfecerint, vt arx eodie caperetur cum Germanorum omnium interitu. præter eorum præfectum, qui ad urbem viuus est perductus: quam quidem paulò post Senatus arcem magnis munitio- nibus tutiorem reddidit. Atq; est eodem in itinere ter mille passus ante Scalam mons saxeus præcelsum maximeq; directus, ad perpendicularum viæ imminens, in cuius superiore parte ipso in saxo specus cum perennis aquæ fonte naturâ factum homines concinnauerunt, arcemq; paruam ex eo effecerunt. Ea omnino arx adiri pedibus non potest: fune autem demisso cum lignea sedecula, singuli homines rota desuper vertente attolluntur: ac quicquid aliarum rerum inferendum est, eodem vno subleuatur, atq; in arcem importatur modo. Ei arci inter montem flumenq;, quod arctam atq; angustam vallem dirimit, subest ea, de qua dixi perexigua sanè via, qua commeari ijs, qui in arce sunt, inuitis licet nulli, propterea quòd saxi modò ab ea deuolutis quoslibet obrui atq; interfici nullum negocium est. Ea quoq; arx, quam Couolum appellant, eorū deditioe qui illam custodiebāt, ad remp. redijt. In Istris etiam præda celebris ab Epirotis est equitibus & cædes hostiū facta. Germanis autem, qui urbem incolebant, à Senatu petentibus, vt quoniam Maximilianus permiserat, vt qui vellent ex eius ditione urbem adire mercaturæ causa, eis liceret, Patres item cōcederent, eos tutò venire posse, fides est ei reipublicæ interposita, itineraq; quæ toto bello clausa fuerāt patefieri cœpta sunt cupidissimis omnibus. Marcus Antonius Contarenius cognomine Camalis, quem Senatus paruis nauigiolis præfecerat, Patrū iussu ab Angeli classe

profectus, Cymacium inter duo Padi ostia Vatreum & Caprariam, oppidum magnopere piscatorium, diripuit, ædificiaq; plurima incendit: quæ Alfonso non parua clades fuit, quod ex eius oppidi septis calamo reticulato uadis, triginta millia in circuitu passuum eo ipso ferè tempore ingens vis piscium biduo triduoue maxime pluuio capta, & sale iniecto reposita, magnis redimi precijs portorijq; consuevit. Angelus cum nauibus triremibus ad latitudinẽ fluminis dispositis pontẽ iniecisset, quo Gradenici equites transportarẽtur ad incursiones exercẽdas, hostesq; qui munitionem copijs omnibus aggressi sæpe fuerant, sustinendos: postea, ne triremes impedirentur, quo minus ad gerendũ bellum præstò essent, eundẽ minorib. in nauibus pontem imposuit, traiectoq; leuissimo equitatu, omnem illam oram fuga terroreq; impleuit, quoad hostes missis ab Iulio Ferrariam equitibus Ludouico Pio præfecto, quem Verona euocauerat, atq; ab Aloisij regis ministris, Brixia item equitibus & militib. quamplurimis, exercitum duodecim millium armatorũ consecerunt. Ac Ludouicus quidem vnà cum Hippolyto ad classẽ ripamq; fluminis audacissimè se inferens interfectus est, capite media cum galea pila ferrea casu in eũ cadente perfracto. Deinde, quod hostes in munitione capienda frustrabantur, Alfonso infra eum locum duo millia passuum munitionem & ipse in ripa facere instituit, qua in reditu impedire classẽ posset, tormentisq; deprimere. Quod ubi Senatui est allatum, literas ad Angelũ dedit: si ei videretur, classẽ reduceret, ne confecta hostium munitione periclitaretur: id vnum in primis curaret, vt classẽ, quam à ciuitate accepisset, saluam sospitemq; reip. restitueret. Ad quas ille literas ita re scripsit:

scripsit: Si classem reduxisset, fore ut omnem illam oram, quæ cis Padum est, hostium exercitui diripiendâ relinqueret: itaq; id se tum facturum, cum illa munita esse loca cognouisset. Eodemq; tempore, quod ad Patres venerat Bulfardus Germanus, qui ad urbem ventitare consueuerat, ad speciem, ut eis se offerret ad pacem inter regē remq; pub. tractandam: re, à Maximiliano eius rei cupidissimo clam missus: Decemviri legatos duos creauerunt, qui cum Bulfardo ad regem statim profiscerentur, Ioannem Corneliū Quinquēvīrū Senatu regendo, Aloisium Mocenicum, qui Feltria atq; in Alpibus legatus tunc erat. Egerāt autem cum rege ciuitates Germaniæ liberæ, ut pacem cū repub. faceret: quarum quidem ferè omnium municipes non pauci in vrbe mercaturam exercere consueuerant, ægreq; ea re carebant. Paulus quoq; Licestēnius, cuius erat multò maxima apud regem autoritas, uti antea demonstrauimus, pacis ei autor semper fuerat. Vxor insuper regia idem cupere maximopere videbatur. Præter hæc Henricus Britanniæ rex ab Iulio & Aloisio & Maximiliano per litteras diligentissimè scriptas petierat, ne cum Veneta ciuitate bellum exercerent: quæ si nusquam existeret, construi tamen omnibus ab hominibus ad publicam orbis terrarum vtilitatem atq; ornamentum profectò debuisset. Idem quoque multò etiam accuratius legatus regis, Romæ qui erat, ad Iulium detulerat. Quibus rebus cognitis spes Senatum tenuit, breui fore, ut sibi cum Maximiliano conueniret. Atq; illis quidem diebus Baldassari Scipioni Senensī, qui Liuiano propter virtutē maximè charus fuerat, equitum grauis armaturæ L. præfectura est à Senatu tradita. Bonifacioq; Sonziniō, qui se amanter pro rep. Patauino

bello gesserat, auri libra annis singulis immunitasq; rerum omnium ei liberisq; posterisq; eius, tum vt ipse liberiq; extra ordinem in Senatum legerentur, dono datum. Padus interim aucto Gallicis repentinis imbribus flumine, vt summas planè ripas adæquaret, pontem, qui minoribus erat nauibus impositus, aquarum violentia disiecit. Angelus traiectu ne careret, triremes, vti antea fecerat, contra cursum fluminis iterum firmavit, quæ pontem sustineret. Hostes autem vbi viderūt fluminis incremento triremes altè sublatas pulcherrimè tormentorum pilis obijci, prima nocte magna cum manu Ferraria egressi ad ripam cõtenderunt, tormētisq; plurimis adductis naues impeditas verberare ex aggere ictibus creberrimis cœperunt: neq; prius desiterunt, quàm classe penè vniuersa perforata & disiecta, Angelus, qui somno expergefactus suo se lectulo ciecerat, cum signo aureo, ne hostes eo potirentur, publicisq; literis, tum ductores reliqui cymbis nauium excepti fuga salutem peterent. Remiges se flumini omnibus è nauibus dederunt: aduersamq; ad ripam delati magna pars ad Gradenicum se receperunt. Vna triremis primo aduentu per remos, qui aggerem contingebant, ab hostibus ad ripam attracta, cum hominibus non paucis est capta: ipsi omnes interfecti. altera succensa est. Ex omni classe triremes duæ nauigiaq; minora aliquot secundo se flumine demiserunt, ad finesq; reipub. nullo accepto detrimento redierūt. tres depressæ interierunt: munitione cum plurimorum remigum & militum interitu hostes potiti: triremes nouæ Ferrariam sunt perductæ. Ea clade Patres cognita, euestigiò literas dederunt, cum ad Gradenicum legatum, si hostes Padum traicerent, interiorem Athesis fluminis ripam inter-

interfcinderet, ne Rodigium possent accedere, ipse se in tutum cum ijs quas haberet copijs reciperet: tum ad legatos Gritum & Marcellum, qui erāt in exercitu ad municipium Leonicenorū, vt aliquid copiarū auxilio ad Gradenicum mitterent, quo se facilius finesq; illos ab hostibus victoribus tueri posset. Scripsere etiam ad Fossæ Clodiæ magistratum, cimbis iuberet Padum ingredi, quæ fugientes reciperet, etsi qui se in syluas aut paludes abdidissent, perquisitos repertosq; subleuarent. Data insuper ad Ioannē Maurum literæ, qui in Istris cum triremibus, quas appellant nothas, tribus, legitimis duabus relictus fuerat, vt ad Padi ostia contenderet, cumq; Marco Antonio Cōtareno, qui triremem suam nauigiolaq; non pauca incolumbia conseruarat, se coniungeret. Senatu postea eodem die coacto, ad classē reintegrandam multoq; ampliorem instituendam, latum, vt in Creta triremes octo, Corcyræ duæ, in Dalmatis sex, in vrbe quatuordecim confestim armarētur, atq; ex his duarum remiges postridie, aliarum duarū perendie conscriberentur. Angelus inter hæc ad urbē redijt, clademq; illam non tam verè ac exploratè, quàm vt ipsi minus dedecoris afferebat, Patribus exposuit: quem tamen eius sermonem pleriq; ex earum, quæ perierant, triremium præfectis ad urbem & ipsi redeuntes audacter refellerunt, probraq; omnia in illum iaci cœpta: nihil in eo consilij, nihil prudentiæ, nihil omnino prouidentiae: crudelitatis, auaritiæ, arrogantiae plurimum semper fuisse: triremes ponte implicari minimè omnium debuisse: si paulum supra eum, in quo erat, locum ripæ aggerem deiecisset, flumen ipsum, quod tam altè creuerat, suamet illuione & munitionem & classē tutam ab hostibus puncto tem-

poris redditurum, regionemq; illam pulcherrimam & fertilissimam longè lateq; vastaturum & fœdaturum fuisse. quæ nam autem aptior atq; facilior reip. morem gerendi occasio dari ei à fortuna potuisset, quàm quod est illi ea fluminis tam vasti magnitudine exuperantiaq; subministratū? ita illū, quæ è rep. nō erant, effecisse: quæ vsui & dignitati magnopere fuissent, quæ securitatem classi attulissent, quæ hostium cogitationes & conatus omnes frustrauiſſet, prætermiſſe: vnum modò magna semper diligētia curauisse, vt cymbas præda onustas singulis diebus domum mitteret. His cū vocibus penè omnium, qui in ea classe fuerant, & cladi superfuerant, Angelus palam accusaretur, Senatus frequens rogationem iussit, vti de ea re Triumui-ri ex aduocatis reip. quærerēt: quod reperissent, intra dies XV. ad Senatum referrent, atq; is ea poena, quam Senatus probauisset, plecteretur. atq; vt proximis comitijs præfectus classis eius loco legeretur, etiam perlatus: lectusq; est Antonius Tronus templi Marcij procurator: quo præfecturam respuente, quòd non esset rebus maritimis assuetus, comitia Petrum Balbum Patauij magistratum sublegerunt. qui quidem Balbus antequam Patauio decederet, hominem ex plebe, qui filia pro concubina utebatur, ipsamq; filiam, scelere per indicium delato, comprehendi iussit, fassosq; securi ambos percussit, igne patris cadaueri etiam supposito. Ad hæc, vt aliquando Iulij iracundiæ finis fieret, Senatus sæpe consultus, sæpe amplius consuli iussus, tandem censuit, vt legati reip. Romæ qui erant, tabulis ab Iulio traditis, quibus indignissimæ conditiones reip. imponebātur, scribēdo adessent, vt iuri scilicet, quod in sinu Adriatico antiquitus respub. obtinuerat, ab omnibus,

bus, qui eo mari nauigent, exigendi, pro eorum tantum nauigijs, qui Romani pontificis imperio subessent, & eo mari nauigarent, quodq; in Ferrariæ dominatu, quam aliquando in suam potestatem redegisset, permultos annos habuerat, quodq; vlllo vnquam tempore in Flaminia oppidis eis fuisset, reip. nomine cederent: eamq; contra rem Romanam fecisse faterentur, veniamq; suppliciter peterent. Ea res quod vi fiebat, Senatui nulla liberè decernendi potestate relictâ, tot regibus hostibus, tot reip. oppidis bello captis, retentis ab Iulio in vrbe sex legatis summa dignitate & nobilitate ciuibus, tū illis qui è Flaminia in vinculis ad illum sunt perducti, ipsius interdicto, cui tamen iam pridē paruierant satisq; fecerant, etiam nunc urgente, minus molesta Patribus fuit, minusq; ei rei, ne fieret, obstitērūt: illud animis atq; sermonibus diu multumq; repetētibus, vi atq; iniuria coactis ab hominib. quod sit, pro infecto haberi cōsueuisset: itaq; & naturæ, & gentium & ciuili iure & legibus omnium populorum esse constitutum. Vnū autem sese consequi, vt Iulius inimicum in remp. animum deponeret, neq; amplius eius hostibus auxilio vellet esse (quod quidem se facturū pollicebatur) magno sibi adiumento ad reliquum bellum conficiendum fore arbitrabantur. Atq; his rebus agitatī annus finem habuit.